

nem honorum ecclesiasticorum, eisdem dominio competeret; cum non obstante tali dominio, commixtione per accidens acquisito, adhuc teneantur ex justitia, dicta bona superflua in causas pias erogare; simulque dominio eorum careant in casu, quo aliis pecuniis ipsorum non commiscantur; ut proin absolute loquendo bene dicatur, quod non sint domini bonorum superfluum; cum mere per accidens sit, quod hæc necessariis commisceantur. Sicut a pari, licet depositarius, tutor, curator, fur, etc. si pecunias depositas vel pupilli, aut minoris, vel furto ablatas commiscant propriis pecuniis, acquirant dominium, evadantque domini illarum, tamen absolute loquendo, non dicuntur domini, nec habere dominium illarum, eo quod non per se seu per ipsam depositionem, tutelæ, ac curatoris officium, vel furtum dominium illarum acquirant, sed per accidens, quatenus nempe commixtione pecuniæ alienæ cum propria acquiratur dominium ejus, manente obligatione ex justitia tantundem restituendi, quantum in simili casu de alienis pecuniis commixtum est propriis. Quod autem bulla de dicto commixtionis casu intelligenda sit, patet ex verbis ipsius Pontificis, ibidem ita loquentis: « Si ad eos pervenerunt, et cum aliis ipsorum beneficiorum fructibus commixti sunt: » ubi, ut vides, non sufficit ad dominium superfluum acquirendum, quod ad clericos pervenerint, sed et « quod fuerint commixti » propriis clericorum pecuniis; quia dictio et regulariter copulativa est, ac conjunctiva. l. *Si quis ita*. 129. ff. de V. O.

44. *Probatur a simili.* — Et per hoc patet etiam responsio ad probationem ex ratione desumptam, ejusdemque confirmationem n. 23. et 27. propositam, quod videlicet per accidens, commixtione nempe, acquirant dominium, dicanturque domini superfluum: manente obligatione ex justitia dicta bona in causas pias erogandi; quam obligationem sed etiam adversarius fatetur Layman, qui dictum ex ratione desumptum argumentum alias contra doctores secundæ sententiæ proponit.

45. *Quare bona ecclesiastica vocentur patrimonium pauperum, et dicantur pertinere ad jus sacerdotum vel Ecclesiæ?* — Ad probationem n. 28. propositam negant doctores secundæ sententiæ minorem, videlicet, quod sine manifesto, ac sufficienti fundamento imponant onus et obligationem ex justitia, superflua

profane expensa iterum ad causas pias restituendi. Eapropter etiam ad Regulas jur. in 6. adductas, negant suppositum, quod versemur in obscuris, vel in pari causa.

46. *Sententia negativa agnoscitur probabilior.* — Sed objiciunt doctores primæ sententiæ ulterius; summi Pontifices, alique superiores ecclesiastici validos agnoscunt, hoc ipso, quod non rescindant, sed tolerant clericorum contractus de redditibus ecclesiasticis superfluis factos; ergo etiam agnoscunt clericos habere eorum dominium: secus enim hujusmodi contractus utpote cum injuria domini pecuniarum, sicque injuste factos tenerentur irritare ac rescindere. Resp. negando ant. eo quod contractus hujusmodi a superioribus ecclesiasticis non ideo tolerantur, quia validos eosdem agnoscunt, « cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari: » c. *Cum jam dudum*. 18. de *Præbend.* Sed ideo tolerant, et non rescindunt; quia difficillimum, litiumque continuarum occasio foret, velle semper examinare, an hic, vel ille contractus clerici de bonis mere ecclesiasticis superfluis, an vero de necessariis, aut patrimonialibus, consequenter valide vel invalide factus sit.

47. Objiciunt adhuc: Non potest ostendi, sub cujus dominio existant bona ecclesiastica superflua, vel quinam eorum dominus sit, si clerici eorum dominium non habent; ergo. Resp. negando ant. Quia Dominus eorum optime dicitur esse Christus, non quidem universali illa ratione, qua *Domini est terra et plenitudo ejus*. Psalm. xxiii. 1. sed speciali, et quidem hac; quia eidem, ejusque intuitu offeruntur, ac sub nullius alterius dominio existunt. Et ob hanc rationem toties in jure vocantur *Patrimonium JESU Christi*, uti c. *Cum secundum*. de *Præbend.* c. *Cum ex eo*. 34. de *Elect.* in 6. eadem ratione dicuntur *Res Dei*, concil. Trident., sess. 23. de *Reformat.* cap. 1. Item *Pecunia Christi*, can. 1. caus. 12. q. 2. ibi: « Qui Christi pecunias aufert, fraudat, et rapit. » Hinc etiam can. *Nulli*. eod. caus. et q. universaliter asseritur: « Omne, quod Domino consecratur (id est, donatur, ut explicat Glossa, hic *¶. Consecratur*) domino erit, et ad jus pertinebit Sacerdotum (intellige quoad necessaria, vel ad jus disponendi, juxta hactenus dicta) propter quod, etc. qui a Domino, cui competunt, aufert, invadit, vastat, vel eripit, ad restitutionem etiam sub excommunicacione tenetur. » Abbas, in c. *Cum secundum*. 16. n. 4. de *Præbend.* et alii.

DE CLERICORUM OBLIGATIONE EROGANDI BONA ECCLESIASTICA SUPERFLUA IN CAUSAS PIAS, PAUPERES PRÆSERTIM, UBI ETIAM DE HONESTA SUSTENTATIONE CLERICI.

51. *Clerici graviter tenentur superflua in pias causas erogare.* — Queritur I. An, et quo jure teneantur clerici bona superflua ecclesiastica erogare in causas pias? Resp. I. Clerici beneficiati omnes tam majores quam minores, nullo nec episcopo excepto gravissime sunt obligati cuncta bona ecclesiastica superflua, seu redditus beneficii superfluos erogare in causas pias, pauperes præsertim, ita ut toties peccent, quoties de præfatis bonis aliquid in causas profanas expendunt, sive dicantur et sint domini dictorum bonorum, sive non. Ita certa ac indubitata omnium doctorum tam theologorum quam canonistarum, ac etiam sanctorum Patrum. ut proin probatione non indigeat; « Cum eam (sunt verba eminentissimi cardinalis Sfondrati) omnes Patres, omnes canones, omnes leges divinæ, et humanæ, ac denique omnes theologi uno ore profiteantur, adeo ut hæc doctrina non pertineat ad illas sententias, quæ problematicæ sunt, et in utramque partem disputantur; sed ad eas, quæ dogmaticæ sunt, nullumque ambigendi locum relinquunt, et in quam omnes doctores nullo excepto conveniunt. » Et quidem sancti Patres quod attinet, « nihil firmiter ab eis creditum, nihilque sapius, ac innixius inculcatum, quam, quæ viris ecclesiasticis, de fructibus beneficiorum supersunt, non posse in causas profanas, dilandosve consanguineos, sed in solos pauperum usus, causasque pias impendi. » Laudatus pergit eminentissimus Sfondrati: Sacros canones si spectemus, « nihil frequentius, nihilque clarius, quam hoc ipsum inculcant; adeo ut fateri oporteat aut nihil sacros canones probare, aut nihil magis probare, quam conclusionis tenorem. » Idem dicit eminentissimus Sfondrati eandem doctrinam semper tenere concilia, ut Hispanense, Carthaginense, Toletanum, Aquisgranense, Lateranense, Tridentinum, etc. Hinc doctores, theologos, et canonistas conclusionem tenentes specificè allegare operosum nimis ac superfluum foret, hoc ipso, quod eam tradant omnes quicumque de hac materia tractant.

52. *Etiam si dicantur domini bonorum ecclesiasticorum superfluum.* — Dicitur notanter

fione tenetur. » Abbas, in c. *Cum secundum*. 16. n. 4. de *Præbend.* et alii.

48. Et sane minari non debent adversarii, quod doctores secundæ sententiæ, quædam bona, superflua nempe ecclesiastica, constituent extra omne humanum dominium, eorumque dominium, solum Deum asserant; quia idipsum fateri et ipsi debent de bonis ad fabricam, ornatumque ecclesiarum proprie designatis; cum enim hæc bona non sint in dominio laicorum, uti certum est; nec clericorum, utpote qui juxta omnes adversarios, illorum tantum dispensatores existunt; neque dominus eorumdem sint ipsi lapides et ligna, seu materialis Ecclesia: consequens est præfata bona in penitus nullo hominum, sed solius Dei, cui et intuitu cujus offeruntur, dominio existere.

49. Nec refert, quod bona ecclesiastica in jure subinde etiam vocentur *Patrimonium pauperum*, can. 59. caus. 16. q. 1. non nunquam vero dicantur pertinere ad Ecclesiam c. iii. h. t. Subinde ad *jus Sacerdotum*. can. *Nulli*. 3. caus. 12. q. 2. quia uti bene post Innocentium observat Abbas, in c. *Cum esset*. 10. de *Testament.* n. 29; Navarrus, de *Reddit. eccles.* q. 1. mon. 21. n. 3. et 4. Jura intelligenda sunt, bona ecclesiastica esse *Christi* quoad dominium, *Sacerdotum* quoad *dispensationem*, et administrationem, *Ecclesiæ* vero et *pauperum*, quatenus ex intentione petentium, et voluntate Dei: pro Ecclesiæ conservatione et ornatu, pauperum autem necessitate expendi debent. His ac similibus itaque argumentis ac fundamentis probant opinionem suam doctores secundæ sententiæ.

50. Quænam vero ex his duabus sententiis sit vera, quæ falsa, consequenter ex praxi unice tenenda, non facile dixerim: quantum enim prima sententia ob tantam doctorum auctoritatem damnari vix possit, et nosmetipsi in *Theologia* nostra *moralis* tract. VII. dist. 4. n. 28. cum theologis a potiori loquentes, eandem ut probabiliorem defenderimus: nihilominus certum ac indubitatum est secundam longe tutiorem esse ac securiorem, imo etiam juri conformiorem consequenter in praxi cunctis beneficiariis suadendam præsertim cum juris fundamenta, quibus doctores primæ sententiæ præcipue nituntur, a doctoribus secundæ sententiæ juri conformiter faciliter solvantur, uti constat ex dictis n. 42.

in conclusione, « sive dicantur et sint domini dictorum honorum, sive non; » quia omnes etiam illi, qui clericis honorum superfluum dominium tribuunt, fatentur clericos nihilominus graviter obligari ad eroganda præfata superflua in causas pias; eo quod (aiant) dominium dictorum honorum sit illis concessum cum tacito vel expresso onere erogandi in causas pias: ut proin clerici superflua in causam profanam expendentes, a peccato minime sint immunes per hoc, quod dicant, se adhærere sententiæ docentium clericos honorum superfluum dominos esse.

53. *Clerici tenentur ex jure divino superflua in causas pias erogare.* — Resp. II. Clericorum obligatio, bona superflua ecclesiastica in causas pias erogandi est etiam juris divini, ut proin contra eam omnis introducta consuetudo invalida sit, et illicita. Ita Layman, lib. IV. tr. II. cap. III. n. 2; Pirhing, de Testament. n. 42; Molina, disp. 147. n. 31. et communissima aliorum, ita ut Vasquez opusculo de Eleemosyna, cap. IV. n. 12. testetur: nullum legi, qui assereret, jure tantum humano ad id teneri, cui per consuetudinem derogari possit, sed omnes asserunt ad hoc clericos teneri jure divino, et naturali. » Eidem sententiæ in Theologia nostra morali, tract. VII. disp. 4. n. 34. ad finem. item tract. VIII. dist. 3. n. 54. jam adhæsimus. Ratio est, tum quia juxta omnes, clericus bona ecclesiastica ad causas profanas applicans, peccat vel contra justitiam; consequenter etiam contra charitatem, vel contra religionem vel contra jus divinum; tum quia fideles dantes, et offerentes bona sua ecclesiis, piis locis, hac intentione et fine, hocque tacito vel expresso pacto ac onere dant, ut non nisi ad Dei gloriam et honorem cultumque divinum, in usus et causas pias convertantur, arg. can. Pontifices. 3. cau. 12. q. 3. et can. Apostolicos. 13. ead. cau. q. 2. Consequenter clerici ad causam profanam præfata bona applicantes, contra intentionem et finem dantium, pactumque expressum, vel tacite initum agunt, taliter autem agere esse contra jus divinum agere nemo dubitat.

54. *Consuetudo erogandi superflua in causas profanas illicita, et invalida est.* — Resp. III. Consuetudo passim vicens, bona superflua ecclesiastica in causas profanas erogandi, non tantum illicita, sed et invalida, ac pessima corruptela est. Hæc conclusio necessario

sequitur ex præcedenti, eamque tenere debent omnes illi, qui præcedentem amplectuntur, si consequenter docere volunt. Ratio manifeste patet; quia hoc ipso, quod talis consuetudo contra jus divinum vel naturale militans, non tantum illicita, sed et invalida, atque verissima corruptela sit, textu claro. c. fin. de Consuetud. Quod magis adhuc dicemus infra tit. XXVI. de Testament. § de Testamentis clericorum, ubi singulariter examinabimus questionem illam, an vi consuetudinis clerici valide testentur; item an dari possit consuetudo, quæ sit valida, et non licita.

55. *Controversia doctorum, an clerici ex justitia, vel alia virtute teneantur superflua in causas pias erogare* — Quæritur II. An ex virtute justitiæ teneantur clerici bona superflua erogare in causas pias, ita ut in causam profanam expendentes teneantur ad restitutionem? Ante responsionem notandum, hujus quæsitæ decisionem potissimum dependere ex resolutione illius quæsitæ, an clerici sint domini suorum reddituum. Unde sicut de hoc, ita etiam de illo quæsitæ magna est controversia inter doctores. Illi namque, qui docent clericos non habere dominium bonorum superfluum, docent etiam consequenter eos teneri ex justitia dicta bona erogare in causas pias, obligarique ad restitutionem, si quid in causas profanas expendunt. Illi vero, qui dominium præfatorum bonorum clericis concedunt, a potiori docent memoratam obligationem bona superflua erogandi in causas pias, non ex justitia, sed vel ex charitate, vel ex religione procedere, consequenter ad restitutionem non teneri clericos, si quid in causas profanas erogant. Quod idem etiam in Theologia nostra morali, tract. VII. dist. 4. n. 34. docuimus. Verum quia § præced. n. 50. jam fassi sumus, sententiam clericis dominium bonorum superfluum negantem, non tantum in securiorem, sed etiam sacris canonibus conformiorem esse, hinc mutata illa, quam in Theologia morali pro theologis potius, quam juristis dedimus, sententia, consequenter

56. *Probabilis est eos ex justitia teneri. Probatur auctoritate doctorum.* — Resp. Sententia docens clericos ex justitia teneri, superflua bona ecclesiastica erogare in causas pias, simulque ad restitutionem obligari, si quid in causas profanas expendunt, non tantum tutior ac securior, sed etiam sacris canonibus conformior, ac probabilior, inde-

que in praxi omnino suadenda et amplectenda est. Probatur conclusio primo auctoritate doctorum. Nam imprimis hanc sententiam docent omnes doctores qui clericis dominium bonorum superfluum denegant, quos supra n. 30. jam citavimus, inter quos eminentissimus cardinalis Sfondrati de conclusione ita loquitur: « Veritas hujus conclusionis, si ex sacris canonibus, sententiæque omnium Patrum, hoc est, ex principiis veræ theologiæ petenda est, certissima erit, nullumque dubium admittet: sed hodierna die, alia docendi ratio invaluit: cum enim aut pigeat Patres, canonesque evolvere, quod otiosis, delicatisque scriptoribus molestum est, aut non lubeat eorum sententias amplecti, quippe plerumque cupiditati adversas, et ad severitatem evangelicam compositas, adeo alia theologiæ methodus inventa est. » Petrus Soto ob insignem, qua fulgebat, pietatem, et doctrinam confessarius Caroli V. imperatoris in Tract. de vita Sacerdotum, in principio, sic ait: « Constat ex decursu totius Ecclesiæ ab apostolis et ipso jure divino, omnia bona (intellige superflua) pauperum esse, nec ulla ratione, aut potestate humana posse in alios usus transferri, quam ecclesiasticorum et pauperum; et contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra Scripturam. » Tanner, tom. III. disp. 4. de Justitia. asserit: « Sententiam hanc multo esse probabilior, imo speculative, et ex propriis principiis unice veram. » Archidiaconus canonista celeberrimus in c. Statutum. § Assessorem, de Rescript. in 6. dicere non dubitavit, « contrariam opinionem esse juris hæresim. Paulus Comitulus judicat, « contrariam opinionem esse novam ac periculum post mille et quingentos annos in Christi Ecclesia invectam. » Eandem sententiam tenet Felinus, in c. Postulasti, de Rescript. in 6; Layman, lib. IV. tract. II. cap. III; Dionysius Carthusiensis. Joan. de Ligna, Pisanus, Gandavensis, Petrus de Ubaldis, ac plurimi alii, imo fatentibus ipsis adversariis ferme omnes canonistæ et theologi antiqui, qui tot tantique doctores, si non superant, certe adæquant auctoritatem recentiorum cæterorumque celeberrimorum doctorum.

57. *Probatur, quod non teneantur ex charitate.* — Probatur conclusio secundo ratione. Omnes doctores etiam adversarii fatentur clericos superflua in causam profanam expendentes gravissime peccare; atqui hoc solide probare vix possunt, nisi dicant præfa-

tos clericos etiam contra justitiam peccare; ergo. Major est indubitata. Minor probatur. Quæritur enim, si contra justitiam non peccant, contra quam aliam virtutem delinquant dicti clerici? Respondet Fagnanus, in c. Si quis sane. n. 1. h. t. cum aliis, eos peccare contra solam virtutem charitatis, et misericordiæ. Sed contra est quod lex charitatis, et misericordiæ erga pauperes sub mortali non obliget, nisi adsint pauperes in extrema vel gravi necessitate constituti, juxta communissimam et certam theologorum. Potest autem contingere, quod in quibusdam locis, vel provinciis nulli reperiantur pauperes gravem vel extremam paupertatem patientes, vel si qui sint, quod eis per magistratum aut aliunde sufficienter provideatur: in quo casu dici non potest, quod clerici graviter teneantur ex charitate et misericordia erogare bona superflua pauperibus; et tamen adhuc mortaliter peccant, si quid notabile de præfatis bonis in causas profanas expendunt: ergo contra aliam virtutem, quam charitatem et misericordiam.

58. *Nec ex virtute religionis.* — Hinc Lugo, disp. 4. de Justit. et jur. sect. 2. n. 16. et seq. cum aliis respondet eos peccare solummodo contra virtutem religionis. Sed contra. Quæritur, cur peccent contra virtutem religionis. Respondet Lugo; quia bona ecclesiastica juxta concilium Trident. et sacros canones « Res Dei sunt, » quas in profanos usus expendere sacrilegium est. Sed quæritur ulterius: quare sint, et dicantur « Res Dei? » Respondet: quia a fidelibus hoc fine, intentione, ac conditione data sunt, ut ad cultum divinum, causasque pias impendantur. Verum ex hac ipsa responsione immediate sequitur, præfatos clericos etiam contra justitiam peccare, hoc ipso, quod bona superflua profane expendendo, contra finem ac intentionem dantium ac fundatorum expendantur; uti magis patebit ex argumento sequenti, quo

59. *Quod fideles bona sua dederunt Ecclesiis hac intentione, conditione et fine, ut ad causas pias applicarentur, consequenter aliter applicantes contra intentionem dantium, sicque contra justitiam peccent, probatur.* — Probatur conclusio tertio: Quandocumque alicui sive cum, sive sine translatione domini quid datur, aut donatur sub certa conditione, intentione, ac fine, tenetur donatarius ex justitia vel conditionem, ac intentionem, sub qua datum accepit, adimplere, vel restitutionem facere, v. g. donat quis alteri certam quantita-

tem pecuniæ hac conditione, ac fine, tacitoque vel expresso pacto, ut quantum sibi pro aliquo itinere faciendo necessarium fuerit, inde sumat, reliquum vero in pauperes vel pias causas expendat, tenetur donatarius ex justitia, ut vel conditionem ac intentionem a donante præscriptam adimpleat, residuumque illud pauperibus distribuat, vel aliter impendens restitutionem faciat, arg. l. I. et II. c. de Donat. « quæ sub modo, vel conditione. » Atqui fideles dando et offerendo bona temporalia Ecclesiis, piisve locis, semper hac intentione, conditione, et fine pactoque tacito vel expresso dant, ut nonnisi ad Dei cultum, causasque pias (inter quas etiam est honesta clericorum sustentatio) applicentur; ergo clerici, locorumque sacrorum rectores dicta bona accipientes, tenentur ex justitia eas ad causas pias applicare, consequenter aliter applicantes restitutionem facere. Major est certa, et patet ex citatis legibus, concediturque ab ipsis adversariis.

60. Minor, in qua cardo vertitur, probatur ex sacris canonibus, ubi redditus ecclesiastici ideo in pauperes, aliasve causas pias erogare jubentur; quia hac conditione, fine ac intentione a fidelibus oblata sunt. Sic namque can. Pontifices. 3. cau. 12. q. 3. habetur: « Ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis offerre probatur. » et can. Apostolicos. 13. cau. 12. q. 2. declaratur « redditus ecclesiasticos ad (ministorum) propriam utilitatem (honestam nempe sustentationem) et ob escam pauperum, et peregrinorum sustentationem esse. » Hinc ibidem aliter bona expendens clericus deponi jubetur, « ut prævaricator divinarum legum, et præceptorum. » can. Quia juxta. 59. caus. 16. q. 1. narratur de Carolo IX, Francorum rege: quod ob res Ecclesiarum ablatas non tantum in æternum sit damnatus, etiam Angelo revelante, in inferno de facto « recipiat pœnas propter peccata omnium, qui res suas et facultates in honore, et amore Domini ad sanctorum loca in luminaribus divini cultus, et alimoniis servorum Christi, ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderant. » Ex quibus verbis utique manifeste patet finis, ac intentio, ob quam fideles bona sua locis sacris offerunt. Idem constat ex verbis Urbani Papæ relatis in Breviario 25. maii, ibi: « Ipsæ res fidelium, quæ domino offerunt, non debent in alios usus, quam ecclesiasti-

cos, et christianorum, et indigentium converti (ratio ad propositum serviens additur,) quia sunt vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum. » Idem habetur can. Indigne. 21. caus. 12. q. 2. cum concordantiis.

61. Probatur ulterius eadem minor principalis, videlicet, quod fideles hac conditione, fine, ac intentione, bona sua conferant Ecclesiis, ut nonnisi ad causas pias, cultumque, et honorem divinum applicentur, sequenti argumento. Omnes fideles tam præsentis, quam antiqui temporis, dando, et offerendo bona sua Christo, Sanctis, Ecclesiis, locisque piis voluerunt, ac intenderunt facere opus pium ac meritorium pro anima sua, arg. « Citatis, et multis aliis juribus, » ubi propterea res ab eis oblatæ vocantur « Vota fidelium, ac pretia peccatorum, » can. Quia juxta. 59. cau. 16. q. 1. et dari dicuntur « pro redemptione animæ suæ, » can. Pontifices. 3. cau. 22. q. 3. Item « pro remedio peccatorum vel salute, et requie animarum suarum, » etc. ergo facite, vel expresse etiam voluerunt, ut in pios usus converterentur: secus namque bonum opus non fecissent, nec meritum aliquod pro remedio peccatorum, vel salute et requie animarum suarum habuissent: sicut omni merito apud Deum careret, nec opus bonum aliquod, sed potius malum, vel certe profanum faceret, qui clerico, vel religioso, Ecclesiæ, vel monasterio bona aliqua temporalia nulla habita pietatis consideratione conferret, dandoque concederet, quod accipientes, vel rectores eorum, præfata bona convertere ad superfluum pompam, excessiva convivia vel ædificia, ditandos consanguineos, vel alios similes malos, aut indifferentes usus applicare possent; uti cuiusvis consideranti patet.

62. Probatur insuper memorata minor principalis ex ipsa confessione adversariorum, utpote communiter fatentium bona ecclesiastica ideo vocari etiam « Res Dei, patrimonium Christi, et pauperum; » quia hac intentione ac fine a fidelibus oblata sunt, ut ad Dei gloriam et cultum, pauperumque sublevamen applicarentur.

63. Confirmatur eadem minor. Nisi dicatur Christi fideles hac conditione, intentione ac fine, tacitoque vel expresso pacto bona sua contulisse piis locis, ut nonnisi ad pios usus converterentur; consequenter aliter applicantes contra finem ac intentionem dantium, indeque contra justitiam peccent, et

per consequens ad restitutionem obligentur, nullum amplius superesset adversariis fundamentum dicendi, quod clerici bona superflua ad causam profanam impendentes illicitè agant, vel peccatum aliquid mortale committant. Cum enim juxta ipsos clerici præfatorum honorum sint domini, et juxta hypothesin ex intentione fundatorum illa ad pias causas convertere non teneantur, nihil amplius obstat, quominus tanquam domini de rebus suis sicut laici pro libitu valide ac licite disponere possint. Quod tamen est contra omnes.

64. Nec valet, quod aliqui dicunt clericos nihilominus vi præcepti ecclesiastici teneri bona superflua ad usus pios convertere, consequenter ad causam profanam applicantes adhuc peccare. Nam contra est, tum quia si solo jure ecclesiastico tenentur clerici, posset Papa dispensare, quod tam in vivis, quam in mortuis causa possent clerici cuncta bona ecclesiastica ad causas profanas applicare: posset etiam consuetudo introduci, imo jam esset introducta contra dictam obligationem; cum contra leges humanas licita et valida sit consuetudo legitimo tempore præscripta, c. fin. de Consuetud. Quod tamen utrumque est contra ipsos adversarios; tum quia sequeretur erogare bona ecclesiastica in causas profanas esse solummodo malum, quia in lege ecclesiastica prohibitum, non vero prohibitum quia malum: cum tamen omnes canones ipsumque concilium Tridentinum illud per se jam malum supponant, ac sese in jure divino, ac naturali fundent, ideo prohibentes, ne clerici bona ecclesiastica ad causas profanas applicent; quia sunt « Res Dei, patrimonium Christi, et pauperum: vota fidelium, et pretia peccatorum. »

65. Objectiones, quas faciunt adversarii contra hanc conclusionem ferme sunt eadem, quæ supra n. 42. sunt allatæ contra sententiam dicentem clericos non esse dominos reddituum superfluum: item et fundamenta, quibus adversarii probare nituntur clericis præfatorum honorum dominium competere; quia vero ad hæc responsum jam est ibidem, lectorem illuc remittimus.

66. Causæ piæ nomine quæ veniant? — Quæritur III. Quid nomine causarum piarum veniat, et quo ordine in eas bona superflua erogare teneantur clerici? Resp. I. Nominè causarum piarum veniunt omnia loca, ac instituta pia, qualia sunt Ecclesiæ, monaste-

ria, hospitalia, nosocomia, confraternitates, etc. Item pauperes omnes non tantum ii, qui carent necessariis vitæ, aut naturæ, sed etiam qui necessaria vitæ habentes, egent necessariis ad decentem sustentationem, juxta qualitatem et conditionem sui status; quales esse possunt etiam nobiles, barones, comites, imo et principes, qui non ob excessivam pompam, et luxum, nec ob malam dilapidationem, nec ob aliam culpam propriam, sed ex infortunio, vel casu aliquo, incendio, ruina, bello, multitidine prolium, etc., egent necessariis statui, aut conditioni suæ. Ita communis signanter Sanchez, lib. II. cap. II, dub. 28. n. 11; Navarrus, de Reddit. eccles. q. 1. mon. 26 et 27; Lugo, de Justit. et jur. disp. 4, sect. 3, n. 37; Molina, et alii. Et quidem de locis piis constat ex tit. de Religios. domib. item ex can. Pulchra. 18. dist. 86. ibi: « Maxime sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum honore congruo, ut etiam hoc cultu aula domini resplendeat. » De pauperibus vero innuunt erant textus in jure ut can. Aurum. 70. cau. Gloria. 71. cau. 12. q. 2. item can. Consideranda. 17. dist. 86. ubi expresse etiam de iis fit mentio, qui divites, vel nobiles ad egestatem absque proprio vitio perveniunt.

67. Si qui pauperes in gravi, vel extrema paupertate existant, ii præ cæteris causis piis, bona superflua erogare debet: probatur ex jure. — Resp. II. Quamvis clericus obligationi suæ satisfaciat, si cæteris paribus bona ecclesiastica superflua in aliquam ex dictis causis piis erogat, nihilominus pro diversitate circumstantiarum, tenetur etiam inter dictas causas servare ordinem, ita ut uni potius, vel prius succurrere, eique bona superflua ecclesiastica dare debeat quam alteri. Et quidem, si de præsentibus existant pauperes, in gravi vel extrema necessitate constituti, iis omnium primo succurrere tenetur, adeo, ut non satisfaciat conscientiæ, si iis neglectis, bona sua ad alias causas pias applicet, nisi sciat dictis pauperibus aliunde jam sufficienter providerit. Ita communis, patetque ex variis juris textibus, ubi pauperes cæteris causis piis adeo præferuntur, ut ipsa etiam bona locis piis collata, exigente necessitate, pauperibus distribui jubeantur: sic enim can. Aurum. 70. cau. 72. q. 2. habetur: « Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, et subveniat in necessitatibus. » Et infra: « Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Melius